

JACOBUS KÖCKERTUS
BENIVOLOLECTORI

S. P. D.

Iaac vetus Ecclesiae DEI & Christi-
anarum gentium consuetudo est, eaq;
jam usq; à primis fermè Israëlitarum du-
cta temporibus, ut, si quam fortè memorabilem
victoriam ab hostibus suis obtinuissent, aut, post
multorum annorum bella, optatâ diu pace vel
longis à bello feriis potiti fuissent, magno cum
gaudio & pompâ festum quendam diem cele-
brarent, in quo publicè DEO O. M. omnium se-
cundarum rerum auctori pro præstitis in Rem-
pub. meritis ac clementi è periculis liberatione
gratias agerent. Cum, Mose sanctissimo duce,
populus Hebræus ex Ægypto ad mare rubrum
progressus esset, ac immanis & illaudatus ille ty-
rannus Pharaon perquàm magno falcatorum cur-
ruum agmine & innumerabili pœnè exercitu il-
los persequeretur, in eas redacti sunt angustias, ut
omnium vita in extremo discrimine versari atq;
in acie novaculæ quasi constituta esse videretur.
Retrogredi enim ob hostium adventantium vim
neutiquam audebant. Ad utrumq; latus præru-

b 2

pti